



**R. P. Francisci Svarez Granatensis, E Societate Iesv
Doctoris Theologi; Et In Conimbricensi Academia
Sacrarvm Litterarvm Olim Primarii Professoris Emeriti De
Divina Gratia Pars ...**

Continens Prolegomena sex, & duos priores libros De Necessitate Divinæ
Gratiæ Ad Honesta Opera

Suárez, Francisco

Mogvntiæ, 1620

Cap. XVII. Ex eorundem Patrum sententijs, cogitationem naturalem
congruam non esse verum gratiæ auxilium demonstratur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94086](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94086)

CAPVT XVI.

Proponitur contrarie sententia fundamentum ex Patrum loquutionibus desumptum, ut retorqueatur.

1. *Proponitur fundamentum aduersariorum.*

HACTENVS ratione, & discursu tantum egimus contra tertiam sententiam supra relatum, quia vero illa præcipue fundatur in loquutionibus Augustini, & aliorum Patrum, veleriam Conciliorum, quæ illum postea imitata sunt, ideo loquutiones illas in hoc capite obijciemus, in sequentibus vero non solum illi sententiæ non fauere, sed potius illam improbare ostendemus. Proprium igitur illius sententiæ fundamentum, ex Augustino sumptum est, ipsum ad confutandos Semipelagianos reduxisse initium bonæ operationis ad sanctam cogitationem, quam dicit esse specialem gratiam, & inde concludit, omne opus bonum esse ex gratia. Talem autem cogitationem specialem gratiam esse solum ostendit Augustinus ex illo principio, quod non est in potestate nostra illam nobis procurare, ideoque à Deo debeat præparari; sed omnis cogitatio boni honesti inducens cum effectu ad honestum actum virtutis moralis, est huiusmodi, ut constet ex dictis, nam loquimur de prima cogitatione; ergo ex sententia Augustini omnis talis cogitatio sancta, etiam in ordine moralis boni consentanei lumini naturæ, est vera gratia, & ratione illius omnis actus moralis pender essentialiter à gratia.

2. *Pro adducto fundamentum aduersariorum.*

Prima propositio assumpta probatur ex varijs locis Augustini. Primus est lib. 2. contra duas epist. Pelagian. cap. 8. ubi inde probat, nihil boni posse ab homine perfici, vel inchoari, quia nec cogitatio talis boni, quæ necessario præcedit omnem bonum affectum haberi potest à nobis ex nobis, sed ex Deo, dicente Apostolo 2. Corinth. 3. Non sumus sufficientes cogitare aliquid à nobis quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est. Et eodem fere modo ponderat eadem verba libr. de Grat. & lib. arbitr. cap. 7. & de Bono perseuer. cap. 8. Et illis adiungit verba Ambrosij, libr. de Fuga sæcul. c. 7. Non est in potestate nostra corn nostrum, & nostra cogitationes. Quæ verba iterum refert cap. 19. & illis addit, Nec ipse facta, & dicta præterijt, non enim est dictum, factumve hominis, quod non ex cordis cogitatione procedat.

3. *2. Locum ex eodem Augustino.*

Alter principalis locus apud Augustinum est in lib. 2. de Peccator. merit. c. 17. ubi initium prauæ voluntatis ait esse, quia bonum, vel latet, vel non delectat: unde è contrario initium bonæ voluntatis esse dicit ipsius boni noticiam, & de illo voluptatem, & quia delectatio supponit cognitionem, fit, ut ad cognitionem totum hoc initium reuocetur. Subiungit autem, & ad hoc probandum inducit illud Ieremias 10. Scio Domine, quia non est in homine via eius, nec viri est, ut ambulet, & dirigat gressus suos. Quod profecto maxime dictum videtur, propter præuias cogitationes bonas, quas sibi ipse homo præparare non potest, nisi prius Deus incipiat. Estque similis locus Augustini in q. 2. lib. 1. ad Simplicium circa finem, ubi, ut ostendat initium boni esse ex Deo, ait, Quis habet in potestate tali visio attingi mentem suam, quo eius voluntas moueatur ad fidem? Et eodem modo dicere posset, quo eius voluntas moueatur ad bonum actum, & addit. Quis autem omnino amplectitur aliquid, quod eum non delectet? Aut quis habet in potestate, ut ei occurrat, quod eum delectare possit. Et post multa concludit. Restat ergo, ut voluntates eligantur, sed voluntas ipsa nisi aliquid occurrerit, quod delectet, atque inuitet animum, moueri nullo modo potest. Hoc autem ut occurrat, non est in hominis potestate.

4. *3. Locum ex ipso Augustino & Patribus alijs.*

Præterea faciunt illa testimonia, in quibus Patres aiunt, omnes cogitationes bonas esse à Deo & ex gratia. August. vel potius Gennadius de Eccles. dogmat.

cap. 82. Mala cogitationes (inquit) non semper à demonibus sunt, bona autem semper sunt à Deo. Et serm. 171. de Tempore habet Augustinus dignam illo sententiam. Quid, quid boni cogitauerit homo subito corde percussus, sciat quia hospes veniat illi de celo: quem hospitem paulo superius gratiam esse explicauerat. Deinde Fulgentius libr. de Incarnat. & Grat. c. 12. 13. & 19. dixit per gratiam Christi fieri. Ut sancta cogitationis possibilitatem recuperemus, quam in primo homine perdidimus. Et Prosper contr. Collat. c. 10. & ad obiectionem 8. Gallorum, ait à ducentis quatuordecim Sacerdotibus definitum esse, Gratiam Dei per Iesum Christum non solum ad cognoscendam, sed etiam ad faciendam iustitiam per actus singulos adiuuare, & à Concilio Africano traditum esse, vtrumque Dei donum esse & scire, quid facere debeamus, & diligere ut faciamus. Quæ verba habentur in Concilio Mileuit. cap. 4 & in Africano. c. 79. & fere similia habentur in Arausicano c. 7. ubi definit, Per naturæ vigorem nihil boni cogitare homines posse, ut expedit, id est, ita ut ad aliquid boni operandum sufficiat, & cap. 9. ait. Diuini est muneris cum & recte cogitamus, & pedes nostros à falsitate, & iniustitia tenemus. Quæ est etiam 22. sententia Augustini apud Prosperum. Ergo ex sententia Patrum omnis honesta cogitatio est gratiæ donum per Christum, ac subinde salutem hac ratione ad omne opus bonum est aliqua gratia necessaria.

Tertio faciunt testimonia, quæ probant illam cogitationem dari nobis ex meritis Christi: quæ sumi possunt ex epistolis apud Augustinum à 90. vsque ad 105. Ibi enim docent Augustinus, & Africani Patres, & consentiunt Pontifices, ad vincendas tentationes, & vitando peccata etiam contra legem naturæ, & ad bene, sancteque viuendum esse necessariam Christi gratiam, sed illa cogitatio congrua, & honesta, quæ est efficax ad aliquod virtutis opus, etiam est efficax ad vitandum peccatum, & vincendā aliquam tentationem; ergo est ex Christi meritis; ergo est vera gratia. Hæc vltima consequentia probatur, quia Christus non meruit nobis dona naturæ, seu creationis, sed gratiæ, quia ut ait Augustinus epist. 105. Christus non pro nullis ut homines conderentur, sed pro impijs mortuus est, ut iustificarentur.

CAPVT XVII.

Ex eorundem Patrum sententijs, cogitationem naturalem congruam non esse verum gratiæ auxilium demonstratur.

VERVNTAMEN si quis attentè legat has Patrum sententias, & alias, in quibus Pelagium reprehendunt, quod solam libertatem, legemque, vel doctrinam gratiam appellaret; facile intelliget, quam sit interpretatio hæc à sensu Patrum aliena. Dico ergo ex sententia Patrum, cogitationem honestam merere naturalem, & ex cursu naturalium obiectorum per lumen rationis naturalis conceptam, etiam si habeat actum voluntatis consequentem, & ideo congrua sit, non esse veram gratiam, quia nostra iustificatio fit, vel inchoatur. Probatur primo, quia beneficium creationis, licet non contemnenda ratione possit dici gratia, non tamen est illa gratia, de qua Scriptura loquitur, & de qua dicit Paulus, Non irritam facio gratiam Dei, nam si per legem iustitia; ergo gratis Christus mortuus est, ad Galat. 2. Sed hæc cogitatio honesta comprehenditur sub gratia creationis; ergo. Maior est Concilij Carthag. epist. ad Innoc. 95. inter epistolas Augustini, & satis declarata est in proleg. 3. Minor probata est fuisse in præcedentibus. cap. declaraturque in hunc modum: nam gratia creationis intelligi potest, vel solum beneficium creationis præcise sumptum, vel ut includit quicquid est ex natura rei debitum, seu consequens ad ipsam crea-

creationem. Pelagius ergo, cum dicebat, posse hominem suo arbitrio, & labore iuste viuere adiutum gratia, per gratiam intelligebat, non solum creationem animæ, sed etiam potentiarum eius, & conseruationem cum communi influenza, & prouidentia, & si forte generalem concursum Dei non negabat, etiam illum sub gratia illa comprehendebat. Nam, vt referunt Patres Concilij Carthaginens. dicta epist. 95. ad Innocent. per gratiam intelligebat illam, qua datum est nobis, non solum vt homines essemus, sed etiam vt sentiremus, & intelligeremus, quæ & bonis, & malis communis est; ergo sub hac gratia etiam illam cogitationem comprehendebat, non quidem ignorans in creatione sic sumpta includi plura beneficia inter se distincta, & separabilia inuicem, quod est per se euidentius, sed omnia comprehendens, sub gratia naturali (vt sic dicam) seu creationis, quia omnia pertinent ad beneficia suo modo naturæ debita, & quæ viribus naturæ comparantur, supposita generali dispositione causarum vniuersi. Item supra ostensum est, sub libertate proxima ad peccandum includi cogitationem honestam saltem sufficientem, hanc ergo comprehendebat Pelagius sub nomine gratiæ, & Patres sub beneficio liberi arbitrij, quia libertatem ad peccandum sub creatione comprehendebant; ostendimus autem eandem efflerationem de congrua cogitatione, quæ de sufficienti, ergo.

2. Secundo principaliter idem ostenditur hoc modo. Nam Pelagiani, & Semipelagiani admitterant beneficium generale collatum omnibus in dispositione causarum naturalium, & in generali doctrina, & predicatione fidei miraculis confirmata, & consequenter ignorare non poterant, cogitationes honestas ex his obiectis, vel causis extrinsecis in hominibus insurgentes, in quibusdam habere effectum bonæ voluntatis, in alijs autem non habere, ac proinde tales cogitationes in quibusdam esse, in alijs non esse congruas. Dicebant præterea, ratione illius generalis beneficii creationis, & dispositionis rerum illam bonam voluntatem esse ex gratia comuni, quæ in vno homine effectum habet propter bonum vsum libertatis, in alio vero male operante illum non habet propter malum vsum eiusdem libertatis. Neque etiam ignorabant, Deum præuidisse hanc varietatem euenturam in diuersis voluntatibus, & nihilominus talem dispositionem rerum voluisse. Et ita sub illa gratia comprehendebant illam cogitationem, quæ habitura est effectum, & fortasse non negarent, in eo, qui bene operaturus est, esse maius quoddam beneficium Dei, & gratiam in suo ordine. Nihilominus tamen quia non admitterant gratiam internam dantem vires voluntati, & speciali Dei beneficio immisissâ, de errore, ac deceptionis calumnia redarguuntur à Patribus: ergo ex sententia Patrum cogitatio illa naturalis non est vera gratia, quæ ad bonam voluntatem ab eis postulatur. Consequentia quidem per se euidentis est, & ex Patrum sententijs statim clarior fiet.

3. Assumptum vero quoad Pelagium, & damnationem eius, constat ex supra dictis Proleg. 5. capit. 3. de errore Pelagij, & ex epistolis 90. & sequentibus inter epistolas Augustini, & specialiter ex Augustino lib. 1. de Grat. Christi fere per totum, cuius varia loca ibi expendimus. Item ex Prospero epistol. ad Rufin. in principio, vbi in summa dicit, gratiam tantum positam esse à Pelagio vt magistrâ liberi arbitrij per cohortationem, per legem, per doctrinam, per creaturas, per contemplationem, &c. Quid est, quæso, cōtemplatio, nisi bona cogitatio ex illis causis suborta? Hanc ergo etiam cōprehendit sub gratia à Pelagio admissa, quam etiam dicebat esse vt Doctorem, cui circa omnes homines per vniuersum mundum commune, & generale sit studium, vt quis voluerint, utique bonum, vel malum, amplectantur. Pelagius ergo teste Prospero, cogitationem illam honestam ex naturali lumine cum communi cursu obiectorum, & causarum secundarum subortam, etiam

cum ad effectum bonæ operationis peruenit, ac subinde congrua est, gratiam appellabat, & nihilominus statim subdit, sedem Apostolicam, Concilia Africana, & Augustinum versutiam Pelagij deprehendisse, & reprobasse. Idem ostendi potest ex Paulo Orosio in suo dialog. circa medium, vbi inter alia dicit Pelagiū posuisse gratiā in solo naturali bono & in libero arbitrio, & in hoc ordine, quem natura bene instituta custodit. Nam hoc modo Deus elementarijs semel cursibus constitutis, facit inde, quæ facit. Ex quibus verbis constat, omnē cogitationē honestam, quæ ex ordinario, & naturali cursu causarum oriri potest, comprehensam fuisse à Pelagio sub gratia. Et addit Orosius in hoc errasse, quod non cognouerit altiorē gratiam, quam Deus communicat altiori largitate.

Deinde Semipelagianos etiam illud genus gratiæ admisisse, & eo colore errasse, clarissimè colligitur ex Prospero epistol. ad Augustinum de erroribus Semipelagianorum, de quibus sic inquit: Cum ad considerandam Christi gratiam, quæ omnia præueniat merita humana, cogantur, ad conditionem hanc velint vniuersumque hominis pertinere, in qua eum nihil prius merentem, quia neque existentem, liberi arbitrij, & rationalis gratia creatoris instituat, vt per discretionem boni, & mali, & ad cognitionem Dei, & ad obseruationem mandatorum eius suam possit dirigere voluntatem. Ex quibus verbis aperte constat, Semipelagianos cogitationem naturalem discernendi bonum, & malum, quæ cum effectu dirigat voluntatem ad bene operandum, sub gratia creationis comprehendisse. Idemq; sumitur euidentius ex eodem Prospero cap. 28. contr. Collator. vbi contra Celsianum sic inquit, Denique vt videretur aliquid gratiæ tribuisse, ad perfectionis, ait, incrementum semina hæc peruenire non poterunt, nisi opitulatione Dei fuerint excurata. vt scilicet, opitulatione Dei sit cohortatio, atque doctrina, mens autem, quæ virtutum est opulenta seminibus, vtatur facultate, quam possidet, ad hoc tantum viuanda, vt earum virtutum apprehendat culmina, quarum sibi scit inesse principia. Præterea Hilarius epistol. ad August. de Semipelagianis refert, posuisse in bona voluntate naturali initium salutis ante gratiam, additque, eosdem etiam dixisse, prædicari Euangelium his gentibus potius, quam alijs, quia præuidit Deus, qui essent credituri. Ex quib; colligimus, posuisse Semipelagianos cogitationem naturalem congruam ad obtinendum bonum affectum, & illius occasionem à Deo esse præuisam cum præscientia cōgruitatis, seu effectus futuri, & illam fuisse sufficientem ad aliquod meritum, quod non excluderet rationem gratiæ. Vnde verisimile est, etiam illam cogitationem inter gratias computasse.

Tertio declaratur idem ex alia communi Patrum doctrina. Nam cogitatio illa quantumuis honesta, quæ ita est naturalis, vt per solas causas naturales, seu per obiecta ordinario cursu naturæ sensibus occurrentia, & per naturale lumen intellectus comparari potest, profecto non excedit rationem legis aut doctrinæ; ergo non est illa gratia diuinæ illuminationis, & inspirationis, quam Sancti ad bene viuendum requirunt. Consequentia euidentis est, quia Patres postulant ad bene viuendum talem gratiam, quæ aliquid sit ultra doctrinam, & legem, & det vires ad legem implendam, & ad amandum quod per doctrinam cognouerimus. Antecedens autem probatur primo, quia in cognitione, quæ per solam inuentionem acquiritur, creaturæ, aliqua obiecta extrinseca, à quibus, medijs speciebus, sensibilibus, intellectus doctrinam accipit, habet locum præceptoris docentis scientiam, vel predicationem Dei proponentis, iuxta illud Psalm. Cæli enarrant gloriam Dei &c. & non sunt loquela, neque sermones, quorum non audiantur voces eorum. Et postea. Lex Domini immaculata conuertens animas, &c. Quod de lege naturali, quæ per creaturas cognosci potest, optime intelligitur. Et hoc confirmat illud Pauli ad Roman. 1. Reuelabitur ira Dei super omnem impietatem, & iniustitiā eorum, qui veritatem Dei in iniustitiā detinēt, quia

quod notum est Dei, manifestum est in illis. Deus enim illis manifestavit, utique docendo illos veritatem per creaturas. Nam ut subdit, *Inuisibilia ipsius per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur.* Et infra: *Ita ut sint inexcusabiles.* Quatenus ergo intellectum instruunt, ad doctrinam pertinent, quatenus verò inexcusabiles reddunt eos, *Qui cum cognovissent Deum non sicut Deum glorificaverunt, legem profecto ostendunt.*

6. Atque hoc rectè declarant Augustini verba lib. 10. Confessionum cap. 6. dicentis, *Cælum, & terra, & omnia, quæ in eis sunt, ecce undique mihi dicunt, ut te amem, nec cessant dicere omnibus, ut sint inexcusabiles.* Alius tamen tu misereberis, cui misertus eris, & misericordiam prestabis, cui misericors fueris. Alioquin cælum, & terra iurdis loquuntur laudes tuas. Ergo tota illa cogitatio, seu inuentio per creaturas ad doctrinam tantum, & legem spectat. Idem ergo est de omni alia cogitatione boni honesti ex obiectis occurrentibus vi naturalis luminis desumpta: nam ex parte obiectorum excitantium intellectum tantum pertinet ad doctrinam, & legem. Vnde quantumvis illa cogitatio futura sit congrua, non est à Deo ut adiuvante naturam ad bene operandum, neque ut subministrante vires volenti, sed ut à docente hominem per creaturas, & per eandem legem naturalem promulgante, vel applicante; ergo illa cogitatio non habet rationem veræ gratiæ, quam Scripturæ, & Sancti docent, sed palliatæ gratiæ, quam Pelagius prædicabat, vel certè quando illa cogitatio congrua exiit, potius dici potest doctrina, vel lex congrua tempore lata, seu applicata, quam gratia congrua.

7. Quarto probatur, quia hæc cogitatio honesta moraliter sæpissimè, seu à pluribus, acquiritur, vel excitatur, non per inventionem, sed per disciplinam humanam, docente, vel exhortante alio homine, & cum tali cogitatione sæpè cōtingit, hominem ab alio edoctum, vel excitatum operari aliquid bonum morale per liberum arbitrium, ac proinde esse congruam fine alio interiori spiritu gratiæ, sed tunc talis cogitatio tantum habet rationem doctrinæ, seu disciplinæ, aut exhortationis humanæ; ergo non est vera gratia Christiana, de qua Patres loquuntur. Maior est clara ex dictis in capitulis præcedentibus, tum quia illa cogitatio de se est sufficiens ad actum naturalem, qui per se tantum pendet à libero arbitrio, & ideo moraliter necessarium est, ut ex multis, & pene infinitis hominibus habentibus talem cogitationem, aliqui consentiant illi pro libertate sua, saltem aliquando, & in rebus facilioribus. Tum etiam quia cogitatio illa per disciplinam acquiritur eiusdem rationis, & virtutis est cum simili cogitatione per propriam inventionem comparata: ergo æquè potest esse congrua, nam æquè potest voluntas libera illi consentire. Vnde cum frequentius, & in pluribus hominibus talis cogitatio excietur per doctrinam, & vocem humanam, etiam inter infideles: nam inter illos etiam filij à parentibus instruuntur, ipsos honorare, veritatem loqui, & similia: fit, ut hæc cogitatio congrua sæpissimè per doctrinam humanam sufficienter excietur. Et hinc sufficienter probatur subsumpta propositio: nam quidquid resulat in mente audientis ex vi solius vocis hominis instruuntis, vel proponentis, aut consulentis alteri circa operationem virtutis, habet tantum rationem doctrinæ, aut legis propositæ, vel ad summum, humani cuiusdam adiutorij moralis, ex quo aptè concluditur, ut sic non pertinere ad internam spiritus gratiam. Vnde ulterius concluditur idem esse dicendum de cogitatione, quasi per inventionem excitata: nam in se eiusdem rationis sunt, & uterque modus acquirendi illam est naturalis, & humanus, & à divina providentia ordinatus, differentia vero inter illos valde accidentaria est ad rationem gratiæ.

8. Quintò hoc aptè confirmant verba Pauli 1. ad Cor. 3. *Neque qui plantat, est aliquid, neque qui rigat, sed qui*

incrementum dat Deus. Vnde colligunt Patres, quidquid exterius fit per homines (& idem est de quibuscunque creaturis) ad cogitationem, vel operationem boni, solum esse plantare, & rigare, & ita non pertinere ad propriam internam gratiam, quæ dat vires operandi, nam illud incrementum dat solus Deus. Ergo moralis cogitatio naturalis, quantumvis congrua, quatenus est ab obiectis extrinsecis, vel ab hominibus, tantum ab eis plantatur, vel rigatur: ergo ut sic non est gratia, sed doctrina, vel propositio legis. Quatenus autem interius fit à Deo, non fit per influxum gratiæ, sed per generalem concursum primæ causæ, in quo differt multum à sancta cogitatione, quæ pertinet ad proprium, & internum gratiæ auxilium: ergo etiam sub illa ratione talis cogitatio non est gratiæ inspiratio, sed est donum quoddam naturale. Neque vero etiam ut est congrua, est à Deo per specialem efficientiam gratuitam, quia illa congruitas non semper est aliquid speciale in ipsa cogitatione, sed est quasi actualis influxus in effectum bonæ actionis voluntatis, vel denominatio à tali influxu, qui etiam non fit à Deo, sed per generalem concursum primæ causæ, & ideo nullo modo est speciale auxilium, licet sit speciale beneficium intra latitudinem beneficij creationis, ut supra explicatum est.

Sexto testimonium hoc, & omnes rationes factæ confirmantur valde verbis Augustini, & aliorum quinquè Episcoporum in epistola 95. ad Innocent. ubi sic vrgent Pelagium *Illam cōstituat apertissime gratiam, quam doctrina Christiana demonstrat. & prædicat esse propriam Christianorum, quæ non est natura, sed quæ saluatur natura non auribus sonante doctrina, vel aliquo adiumento visibili, sicut plantatur quodammodo, & rigatur extrinsecus, sed subministratio spiritus, & occulta misericordia sicut facit ille, qui dat incrementum Deus.* Vbi ponderanda sunt illa verba, non auribus sonante doctrina, vel aliquo adiumento visibili. Nam ibi comprehendit duos modos recipiendi per creaturas cogitationem sanctam, seu honestam, scilicet, per inventionem propriam, vel per disciplinam, de quibus in tertia, & quarta ratione diximus. Est autem sciendum, non repugnare, quin per doctrinam extrinsecus, vel per aliquod visibile adiumentum vera interna gratia sanctæ cogitationis excietur in nobis: nam potius hic est ordinarius modus internæ vocationis Dei per verbum Evangelicæ prædicationis, vel per exempla, aut alia sensibilia obiecta ad pietatem moventia, utrunque enim modum attigit August. de bono perseu. c. 14. dicens, *habere aliquos in ipso ingenio diuinum naturaliter munus intelligentia, quo mouentur ad fidem, si congrua suis mentibus vel audiant verba, vel signa conspiciant.* Vt ergo modo potest diuinitus immitti sancta cogitatio. Quod latius declarat Prosper contra Collator. c. 14. & 30. enarrans varios modos, quibus Deus trahit corda hominum per creaturas visibiles, vel per verbum prædicationis, aut lectionis, aut alios affectus; in his autem omnibus ait, *operari vnum, & eundem spiritum sine cuius interna actione nihil exteriora obiecta perficerent.* Igitur ex horum Patrum sententia nunquam erit vocatio, seu cogitatio gratiæ, si interius nihil operetur Deus, præter id, quod per solum naturale lumen intelligentiæ concipi, cogitari, & iudicari ab homine potest cum solo generali influxu Dei: quia tunc extrinseca obiecta, vel verba plantant, & rigant, incrementum autem dant virtus naturalis luminis, ut causa proxima principalis, & Deus ut causa prima, & creator, ac moderator naturæ. Et ideo dixerunt dicti Patres, gratiam, quæ saluatur natura, debere fieri subministratio spiritus, & occulta misericordia, ut patet ex Augustino libr. 1. de Grat. Christi, c. 24. & fere per totum: & lib. 1. contr. duas epist. Pelag. ca. 34. & 35. Prosper libr. 1. de Vocat. Gen. cap. 2. & ad 5. caput Gallo- rum, & cap. 13. & 14. contr. Collat. Cum ergo cogitatio illa naturalis, quantumvis congrua, fiat priori tantum modo sine alia occulta misericordia, vel ministratio

fratione spiritus, proculdubio non est ex vera gratia saluante, seu per se conferente ad æternam salutem, de qua loquuntur Patres, cum dicunt, ad singula bona opera gratiam spiritus esse necessariam.

Septimo hoc confirmat Augustinus, frequenter docēs, in vanum ædificare externum prædicatorem, nisi Deus interius ædificet singulari modo, & auxilio. Sic loquitur de omnibus operibus gratiæ, & de ipsa fide libr. de Prædest. Sanctior. cap. 7. dicens. Si ad ædificandum pertinet fides, in vanum laborat prædicando ædificans fidem, nisi eam Dominus miserando intus ædificet. Idemque à fortiori intelligit de quolibet bono opere, qui proficitur ex gratia, & ad ædificium salutis pertinet. Vnde inferius capit. 8. explicans vocationem congruam gratiæ per modum doctrinæ, inquit. Valde remota à sensibus carnis est hæc schola, in qua Pater auditur, & docet, ut veniat ad Filium. Et infra. Multos venire videmus ad Filium, quia multos videmus credere in Christum, sed ubi, aut quomodo à Patre audierint hoc, & didicerint, non videmus; nimis gratia ista secreta est, & occulte humanis cordibus diuina largitate tribuitur. Profecto hæc, & similia nullo modo applicari possunt naturali cogitationi, quæ vi tantum externorum obiectorum, aut signorum naturali virtute intellectus cum solo Dei generali concursu excitatur. Quoniam cogitatio illa, quam sensibilia obiecta, vel voces excitant, non potest dici valde remota à sensibus, sed potius cum illis ex natura rei coniuncta, nec illam, vel per illam solam ædificat Deus speciali auxilio interno, sed solo generali concursu primæ causæ: nec denique dici potest gratia talis cogitationis alta, & secreta; aut ignota esse, ubi aut quomodo Pater illam doceat, vel immitat, cum confiet, per sola sensibilia obiecta, & generali modo operando illam tribuere. Ergo cogitatio sancta, ad quam Augustinus disputationem de gratia, seu initium iustificationis reuocat, altioris rationis est, & peculiarem internam Dei operationem postulat præter externam doctrinam, & cogitationem, quæ ex vi illius cum solo generali concursu interius resultat. Vnde est illud Augustini lib. de Grat. Christi, capit. 13. Hæc gratia, si doctrina dicenda est, certe sic dicitur, ut altius, & interius eam Deus cum ineffabili suauitate credatur infundere, non solum per eos, qui plantant, & rigant, sed etiam per seipsum. Ergo è contrario cogitatio, quæ fit per eos solum, qui plantant, & rigant exterius, neque altiori modo à Deo interius fit, quam concurrente cum naturali lumine intellectus generali modo, non potest dici gratia, sed mere naturalis doctrina. Et in toto illo capite, & sequenti, imo fere in toto illo libro explicat veram gratiam per interiorum motionem Dei, quam exteriora obiecta per se non possent efficere, ut per hoc detegat veritatem Pelagij.

Octauo ab inconuenienti ostendere possumus cogitationem illam congruam non esse veram Christi gratiam, de qua Patres loquuntur, quia alias sequeretur, posse hominem mereri de congruo fidem, vel primam gratiam internam, & supernaturalem per opus bonum morale factum ex illa cogitatione congrua naturali, quia si illa est vera gratia, iam est opus gratiæ, & consequenter potest fundare meritum alterius gratiæ. Posset quidem negari illatio, ut infra videbimus, tamen nunc ad hominem argumentamur. Nam id consequenter concedit Valsque locis citatis. Consequens autem esse alienum à sententia Augustini, & vix posse à Semipelagianorum sententia re ipsa à nobis distingui, licet verbis differre videatur, infra disputando de auxilijs gratiæ ex professo tractandum est. Nunc vero declaratur ex verbis Pauli ad Thesal. 2. Gratia estis saluati per fidem (& hoc non ex vobis, donum enim Dei est) (vtique ipsa fides) non ex operibus, ut ne quis gloriatur. Vbi a fide distinguitur opus, quæ a fide non procedunt, nam quæ procedunt à fide, iam non sunt ex nobis, cum fides sit Dei donum. Ergo opera quæ procedunt ex cogitatione honesta naturali, censet Paulus esse ex nobis, & non esse meritoria salutis,

ne quis possit in se ipso gloriari. Talia autem opera, si fiant, non possunt non esse ex cogitatione congrua; quia in eo ipso, quod habet effectum, est congrua: ergo (teste Paulo) non est gratia, nam si esset gratia, qui in illa gloriaretur, non in se, sed in Deo gloriaretur. Et simili ratione non potest fundare meritum gratiæ, alias haberet homo, vnde in se gloriaretur, cum illud meritum non sit ex vera gratia, sed ex opere humano. Et hic est sine dubio sensus Pauli, ut ipsum exposuit Augustinus de Prædest. Sanctior. cap. 7.

Potestque optime confirmari ex Concilio Arausico. cap. 16 dicente. Nemo ex eo, quod videtur habere, gloriatur, tanquam non acceperit, aut ideo se putet accepisse, quia litera extrinsecus, velut legeretur, aperuit, vel ut audiretur, insonuit. Arausico. Cogitatio ergo, quæ naturaliter excitatur per extrinsecas obiecta, aut verba, non computatur à Concilio inter dona gratiæ accepta diuinitus ultra naturam, sed inter ea, quæ homo habet à natura, & ideo si quis in tali cogitatione gloriatur, & in ea fundat meritum, non gloriatur in acceptis, nec rectè dicit accepisse, vtique per gratiam, quod non altiori modo habet. Et quia illa cogitatio non excedit rationem legis, aut doctrinæ, ut supra dicebamus, ideo Concilium suam sententiam probat dicens. Nam sicut Apostolus, ait, si per legem iustitia, ergo gratis Christus mortuus est. Et in eodem sensu addit in cap. 21. Sicut Paulus dixit, si ex lege iustitia, &c. Sic & his, qui gratiam, quam commendat, & præcipit fides Christi, putant esse naturam, verissime dicitur, si ex natura iustitia, ergo gratis Christus mortuus est. Vbi nomine natura videtur intelligere naturalem legem, ut naturali ratione propositam, sic enim distinguit naturam à lege, atque ita sub natura comprehendit, non solum substantiam, & potentiam, sed etiam actum, vel cogitationem naturalem, per quam lex naturæ proponitur, siue sufficiens tantum sit, siue etiam congrua, nam loquitur de natura ut includit obseruationem legis, quod non fit sine aliquo actu, seu effectu bonæ voluntatis, cui necessario correspondet cogitatio congrua. Hic verò occurrebat obiectio, quia hinc sequitur ante fidem, vel voluntatem credendi, vel sanctam cogitationem supernaturalem, quod credere oporteat, nullam antecedere veram gratiam. Vnde vterius sequitur, ante fidem nullum antecedere posse meritum, etiam imperfectum, & de congruo alicuius præmij supernaturalis. Sed hanc obiectionem in prædictum locum de auxilijs referuamus. Nunc fatemur ante primam cogitationem supernaturalem, id est, quæ communi concursu naturæ haberi non possit, nullam esse gratiam supernaturalem, neque illius meritum, quæ autem, & qualis illa sit, ibi declarabimus.

CAPVT XVIII.

Destructio alterius sententiæ fundamento, veritas amplius confirmatur.

Vltimo confirmatur hæc nostra sententia, & antiquiorum Patrum esse ostenditur eisdem testimonijs, quæ in argumentis capite ante præcedenti factis in contrarium obijciebantur, quod in hunc modum propono, & declaro. Nam prima cogitatio sancta, quæ est prima gratia in toto ordine iustificationis, & quæ non potest cadere sub aliquod meritum, quia est inchoatio, vel fundamentum totius meriti, est cogitatio fidei, vel generāda, quia ad fidem introducendam, per se ordinatur, vel exercenda, quia ab ipsa fide elicitur, ut contingit in homine baptizato, cum primum incipit de diuinis rebus per fidem cogitare: & de hac prima cogitatione loquuntur Patres, quoties contra Semipelagianos ostendere volunt, initium iustificationis, & fidei non posse cadere sub meritum; ergo non solum immerito allegantur, quæ afferant, cogitationem naturalem honestam, quantumuis congruam esse gratiam inchoantem iustificationem;

Loc. in c. 16. contra nos non militat.